



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Dominica Septvagesimæ, Euangelium Matt. 20.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

DOMINICA

stica, ad ueram ecclesiam.

*Ita in summa hoc euangelium docet, ne Apostoli
prætextu euangelij arripiant gladium, & consti-
tuant regnum mundanum, quod longe aliud est, q̄
regnum Christi. Sed de eorum officio loquitur Pau-
lus. Increpa, argue, cum omni imperio. Quibus uerbis
significat Paulus, potestatem ecclesiasticam posse im-
perare in ijs, quæ sunt iuris diuini, ei q̄; necessario obe-
diendum esse. Id enim significat ἐπιταγή.*

DOMINICA SEPTVAGESI- mæ, Euangelium Matt. 20.

SIMILE EST REGNUM COE-
lorum homini patrifamiliâs, qui
exiit primo diluculo conducere ope-
rarios in uineam suam, Conuentione
autem facta cum operarijs, ex dena-
rio diurno, misit eos in uineam suam.
Et egressus circa horam tertiam, uidit al-
ios stantes in foro otiosos, & dixit il-
lis: Ite & uos in uineam, & quod iustum
fuerit, dabo uobis. Illi autem abierunt.
Iterum

Iterum autem exiit circa sextam & nonam horam, & fecit similiter. Circa undecimam uero horam exiit, & inuenit alios stantes ociosos, & dixit illis: Quid hic statis tota die ociosi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & uos in uineam. Et quod iustum fuerit, accipietis.

Cum autem sero factum esset, dixit dominus uineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis usque ad primos. Et cū uenissent, qui circa undecimam horam, acceperunt singuli denarium. Venientes autem primi, arbitrati sunt, quòd plus essent accepturi. Acceperunt autem & ipsi singuli denarium, eo autem accepto murmurabant aduersus patrem familiàs, dicentes: Hi nouissimi unam horam fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstum.

Et ille respondens uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi iniuriam. Nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & uade. Volo autem

H huic

DOMINICA

huic nouissimo dare sicut & tibi: An non licet mihi quod uolo facere in rebus meis? An oculus tuus nequam est, quod ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Multi enim sunt uocati, pauci uero electi.

I locus De ordine ecclesie omnium temporum.

II De uocatione gentium.

III De danario, & meritis.

IIII Comminatio aduersus ingratos, miscentes humanos effectus ministerio euangelij, & corrumpentes bonam causam.

DE PRIMO.

PARABOLA significat ab initio mundi semper aliquam ecclesiam uocatam esse, & mirabiliter gubernatam & seruatam. que quidam & nobis in conspectu esse debet, ut nos doctrine perpetuas, & exempla prioris ecclesie doceat, & confirmet. Ut enim Nohe, Abraham, Iacob, non humanis presidij defensi sunt: Sic sciamus semper ueram ecclesiam diuinitus regi & defendi. Et hanc esse ueram ecclesiam, que ueram doctrinam circumfert, &

in hac fide Deum inuocat, & pericula sustinet.

Cum autem sint duo corpora: Alterum ueræ ecclesie: Alterum impia, & persecutricis, saepe accidit, ut uera ecclesia sit prorsus oppressa, & soli impij dominantes teneant publicum ministerium, sicut in Papatu. Hic discant pij, non propterea nullam esse ecclesiam, & ministerium ualere, etiamsi est penes impios, & persecutores: quod deberet quidem cripi impijs, sed dum per uim tenent, non propterea ea, quæ recte administrant, ut Baptismum, pro salute ecclesie, sunt inefficacia, aut irrita, sed ualent, quia ministerium non est istarum personarum, sed est ecclesie.

DE SECVNDO.

HÆC Parabola in genere est comminatio aduersus omnes ingratos omnium temporum, qui miscent humanos affectus ministerio euangelij, & priuatis cupiditatibus prætexunt nomen Dei, nomen euangelij, nomen ecclesie. Sed tamen hic plerunq; dicitur de uocatione gentium, de qua quoties dicitur complectenda est doctrina euangelij de gratuita remissione peccatorum. Ideo enim fit exæquatio gentium, & Iudeorum, quia lex nõ mereatur remissionem peccatorũ: sed donatur reconciliatio propter filium Dei gratis, Et hæc consolatio

H 2 utraq;

DOMINICA

utraq; manu tenenda est, ut fide possimus inuocare
Deum in uera agnitione Christi.

DE TERTIO.

Hic fit mentio denarij & mercedis, ideo hunc
locum aduersarij ualde iactitant: Sed dum ri-
xamur de meritis, & rixas sequuntur multa
humana uitia, odium, studiū querendi humana præ-
sidia, superbia, iniuria, fit, ut primi fiant nouissimi, &
bona causa male agendo corrumpatur. Ideo primum
commonecti hac grauissima comminatione reue-
renter audiamus Euangelium, simus fideles in ministe-
rio, simus patientes, & luceat fides nostra in profes-
sione fidei.: Sed tamen refutemus modestè immodicas
laudes meriti, quas non rectè ex hoc textu excerpunt.
Ac satis apparet etiam ante hæc tempora, pijs uoca-
bulum meriti multos scrupulos inieciisse, ideo erum-
pit Bernhardus in hanc uocem: Sufficit ad meritum
scire, quod non sufficiat meritum: hoc quid aliud est,
quàm quòd oporteat credere propter Christum acci-
pi uitam æternam, non propter nostra merita: sicut
aliàs ipse clarius dicit.

IN accommodandis parabolis uidendū est, quæ
sit principalis propositio, & cuius rei similitudo pin-
gatur. Non enim semper singula membra congru-
unt, ut hîc genus conuenit: bene meriti postea insolentes,
& ingrati eijciuntur, recipiuntur obsequentes

¶

& grati. Huius regulae generalis imago pingitur,
 nec necesse est ipsa praemia similiter se habere, Sicut
 hic dissimilitudo est, quia denarius datus est etiam
 ingratis: At uita aeterna non datur his, qui hic intelli-
 guntur reijci. Non igitur quadrabunt membra, si ubiq;
 denarium de uita aeterna interpreteris, Estq; praeci-
 pua collatio non in similitudine praemiorum, sed in
 similitudine ingratitude. Iudaei, cum fierent ingra-
 ti reijciuntur, nacti antea praemia, quae data fuerant,
 tum praesentia, tum perpetua. Nunc alij recipiuntur,
 ut grati ijs praemijs fruantur, quae dabuntur. Haec ac-
 commodatio generis est nativa sententia textus, ut
 gere in singulis membris similitudinem, calumnio-
 sum est.

CAETERVM & hoc modo contexi singula
 membra possunt: Ut paterfamilias dat denarium, ita
 Deus dat euangelium patribus, prophetis, populo:
 tandem populus fit ingratus, quare reijcitur, & ta-
 men retinet denarium, sed non fruitur eo, quia pro-
 missio non est irrita, quae ad Iudaeos & Gentes perti-
 net, & prodesset Iudaeis, si crederent, ut Rom. xi. dis-
 putatur: Communicatur autem Gentibus euangelium,
 quae sunt Ecclesia & populus Dei, si manserint gra-
 ti. Nam eadem parabola uniuersaliter minatur &
 Iudaeis & Gentibus, si accersant negligentiam, &
 contemptum Dei, & similes furores, sicut tunc Iudaei
 H 3 fecerunt

DOMINICA

fecerunt. Hæc accommodatio satis concinna est.

Si quis autem non desinit urgere partem collationis, quia hic tantum dicitur dari merces ipsi, qui sunt grati, responderi potest ex hac ipsa similitudine.

1 Hic dari inæqualiter meritis, Ergo non tantum habetur ratio meritorum: Sed significare uoluit Christus, potius spectandam esse misericordiam Dei, quam nostra merita. Hoc fateri aduersarios necesse est. Mox autem hæc quaestio sequitur: Cum misericordia spectanda sit, an fiducia misericordiae possit ex conditione meritorum pendere. Constat autem labefactari hanc fiduciam, si addatur conditio nostræ dignitatis, & nota est Pauli sententia: Ideo ex fide gratis, ut certa & firma sit promissio.

2 Denique concedo, usitatam phrasim legis esse de æterna uita, ut de mercede loqui, quia lex etiam de fide, tanquam de nostra iustitia loquitur. & tamen scimus fidem non esse fiduciam nostræ dignitatis, sed fiduciam misericordiae Dei.

3 Postremo & hoc uerum est, uitam æternam, etsi datur propter Christum, tamen simul esse mercedem, quia compensat recte facta. Minus esset disputatum de hoc uocabulo, si non inde nimis absurda extruxissent Monachi. Nam audita hac uoce mercedis, postea prorsus ut in humanis contractibus, finxe-

ruunt

runt meritum seu precium, dixerunt nostra bona opera esse legis impletionem, & pro hoc tanquam precio, id est, causa sufficienti, & impellente uoluntatem Dei deberi uitam eternam. Ita obliuisci sunt euangelij de Christo, & de fide in Christum, sicut constat de hac fide, quae est fiducia gratuite misericordiae propter Christum promissae, silentium apud eos esse. Item adfinxerunt absurdiora, quosdam abundare meritis, qui possint ea alijs applicare. Haec portenta necesse fuit taxari, ideo de uocabulo aliquid disputandum fuit, Et his absurdis refutatis prudens facile uidere potest, quatenus congruat uocabulum mercedis.

HAE C monuisse satis sit: Sed simul ueras causas recte faciendi colligamus, ne & nos inter ingratos istos, de quibus hic dicitur, eijciamur. Sciamus puniri peccata horribilibus poenis presentibus & futuris, Sciamus non posse Deum inuocari mala conscientia, Sciamus hominem desertum à Deo obnoxium esse tyrannidi Diaboli, sicut dicitur: Qui peccatum facit, ex Diabolo est. Ideo fugiamus peccatum. deinde & hoc sciamus, bona opera esse debita necessaria, & mereri ingentia praemia, in hac uita, & post hanc uitam: Et tamen manet haec sententia, quod propter aliud simus reconciliati, & heredes uitae aeternae, & quae ita placeat obedientia, si offeratur in

DOMINICA

fide propter mediatorem.

Has causas bene operandi semper intueamur, & nos ad timorem Dei exuscitemus. in hoc cursu melius discemus res illas maximas intelligere, quam in ociosis rixis, & tunc rei magnitudo aliquo modo conspicitur. Iudicari de uocabulis facile potest, & qui uidet aliquo modo magnitudinem infirmitatis humanae, & immunditiae, facile intelligit praeconia meriti inania esse: Et rursus, qui intelligit placere Deo obedientiam propter filium, intelliget compensari nostra benefacta inmensis praemijs et amplioribus, quam meriti ratio, etiam si qua esset, posceret.

DOMINICA SEXAGESIMAE, Euangelium Luc. 8.

CUM AUTEM TURBA PLURIMA conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat seminare semē suum. Et dum seminat, aliud quidem cecidit secus uiam, & conculcatum est, & uolucres caeli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram, & natum exaruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortae spinae, suffoca